



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

8. Gravis essensio in re parva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Nescio tamen, an non hoc, quod de Orpheo fabulosè traditur, ab amoenissima historia superetur. Anberta nobilitate, opibus, virtute præstantissima matrona, sexus & nationis suæ (Germana fuit) eximium decus, admirandum fidei & amoris conjugalis exemplar, ut maritum suum, Bertulphum nomine, è captivitate & servitute Turcica liberaret, virilem induit habitum, fidicinem simulavit, in Palestinam navigavit, barbarumque Tyrannum adeò testudine suâ demulsit, ut in præmium suavissimi cantus, captivum ei juvenem, tum fortè sub aratri jugo ingemiscientem (conjuxerat) donarit; quò cum salva & incolumis, nec nisi tamen post multas ambages agnita, patriis est laribus, & conjugali thoro reddita. Historiam fuse & eleganter enarrat Jacobus Bidermannus in acroamatibus lib. 2. acroam. 2.

VIII. (b) In Orpheo præterea reprehensionem meretur inconstantia in bene cœptis. Nam qui uxoris reductione iter formidabile in se suscepit, & tanta pericula exhaustit; quem nec triceps Cerberus tartaræ janitor aulæ, nec terrifici Furiarum angues: nec tremendus stygii vultus tyranni absterruit à proposito repetendæ conjugis, denique cum jam haberet, quasi in sinu suo dilectam Eurydicen, non potuit continere lumina, donec in plenam lucem emergeret. Curiosè reflexit oculos, & unico momento temporis, quidquid tantis laboribus quæsit, perdidit. Meritò Virgilius

----- Ibi omnis effusus labor.

Deinde legis à Plutone latæ nulla erat difficultas: quid enim facilius, quàm temperare nonnihil respectui. Et hoc ipsum tamen præceptum haud sanè operosum violavit mollior animus. Gravis ostensio in re parva. Ita *Lori* conjugem contra vetitum Sodomæa incendia respectantem, eodem temporis articulò pœna est consecuta. Ubi peccavit, ibi hæsit in vestigio curiosa mulier, inque salis statuam est conversa, meritò inter metamorphoses numeranda. Gen. 19. Ex illa sapiant: femina, ex Orpheo viri.



T t

SYM-

(b) *Gravi offensio in re parva.*